

tibus nonnunquam innatat; tumque caules habet materia quadam spongiosa tectos.

Nascitur prope Veram Crucem.

MIMOSA fruticosa, spinosa; filiquis latis, hirsutis et articu- *Tab. 24.*
latis (a).

Æschynomene spinosa IV, five foliolis Acaciæ angustioribus, frondibus validissimas spinas habentibus. *Breyn. cent. 43.*

Multiplici plerumque assurgit *caulis*, ad quinque vel sex pedum altitudinem pro ratione fecunditatis foli. *Caules* ramique lignosi sunt, et validissimis armantur spinis, incerto ordine dispositis, albicantibus, recurvis, ad basin crassis, et Rosarum spinis similibus. Surculi recentiores similibus horrent spinis, et insuper albicantibus vestiuntur pilis; ut et foliorum nervi. *Folia* autem in hac planta præcipue observatione digna sunt, namque ex nervo principi, secundariorum nervorum intervallis, oriuntur sibi oppositæ geminæ spinæ, supra descriptis fatis similes, sed minores et neutiquam recurvæ, angulos rectos cum nervo formantes, et in eodem plano cum secundariis nervis consistentes. E superiori vero nervi parte, ab eadem origine qua nervi secundarii, oritur spina singularis, teres, præcedentibus gracilior, nervo non perpendicularis, sed ei fere incumbens, mucrone versus extremum ejus protenso. Pinnulæ foliorum minimæ sunt (in hoc genere) et confertissimæ, in mucronem abeuntes, supra virides, infra canescentes. *Flores* rubri sunt, in globulos compacti, formæque (in hoc genere) solitæ. *Fructus* vero est filiqua compressa, et hirsuta; ita articulata, ut singulæ articulationes singulis seminibus foetæ, per maturitatem excidant, manente vero marginali qui eas continuerat.

Nascitur copiose circa Veram Crucem solo pingui et humido.

MIMOSA herbacea, procumbens et spinosa; caule quadrangulo, *Tab. 25.*
filiquis quadrivalvibus (b).

(a) *Mimosa asperata* Linn.

(b) *Mimosa quadrivalvis* Linn.

F. radice